



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentarii quæstionum Tusculanarum

Cicero, Marcus Tullius

Paris, 1509

Philippi Beroaldi Bononiensis Ad Nobilem Philippvm Civlanvm Pannonivm
Discipvlvm Svvm Epistola.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70313](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70313)

PHILIPPI BEROALDI BONONIENSIS
AD NOBILEM PHILIPPVM CIVLA
NUM PANNONIUM DISCIPVLVM
SVVM EPISTOLA.



Socrates ille summus disciplinae Rhetoricae professor: ex cuius ludo litteratorio tanquam ex aequo Troiano innu-
meri principes exierunt: super discipulis duobus theopom-
po atque ephoro ita diiudicabat: ut alteri frenis: alteri cal-
caribus opus esse dicitaret. Tu vero mi Philippe theo-
pompo: quam ephoro similior: non tam stimulo aeges ad studia excolen-
da quam freno. Cum tuapte sponte propensus adeo iis ad litteras sitien-
ter hauriendas: ut ardore quodam inflammatus rapi videaris. Et cum
doctoris officium sit ut docere. Discipuli ut velit praebere se docilem
ego quidem operando: ut ex promptuario meo poenora neque mucta
da neque putida tibi expromantur. Tu autem tanta ingenii docilitate
existis: ut dociliores te oppido quam paucos cognouerim. Iam sex quita-
num in meo contubernio mecum degis: quo toto tempore nulla per-
incuriam dies transmissa est: quin aut ipse tecum aliquid misitaueris
aut ex me quippiam audieris dignum auditu dignumque memoratu.
Ex hac vigilantia: ex hoc pertinaci studio. Ex hac quotidiana exer-
citatione tantum profecisti: ut linguae vitilignes repurgaueris: ut
salebres barbarismorum: qui transmontanis fere genuini ac peculia-
res sunt: latinitatis dolatorio leuigaueris: ut iam prosa & versu peri-
clitatis ingenium. Et cum in eo sis adolescentiae lubrico. In quo fe-
re aut cadere: aut titubare contingat te nullus vitiorum turbo iacta-
uit: non deliciae nostrates: non condiscipulorum sodalitates: non il-
licibiles voluptates transuersum trudere potuerunt a cultura littera-
rum: sine quibus cultus omnis est incultus & vita vix vitalis. Non fe-
cisti quod complusculi scholasticorum: qui ad nos prout barbari ve-
niunt. Ita barbari in patriam reuertuntur: rigidi prosus & indolati-
les: quos nulla scobina eliminare: nulla ascia possis expolire. Coeperunt
tamen haud pridem: quod mihi magnae voluptati est: plerique omnes
transmontanorum me potissimum auspice & doctore barbariem ex-
uere elegantiam induere: Nitorem linguae deterisa rubigine ostentare
nec tam verbosas leges sectari: quam eloquentiam latialem affectari: qui-
bus non tam condi est Bartolus & Baldus quam Plautus & Plinius: tu au-
tem impensam operandas: ut in panoniam nitidior redeas atque ele-
gantior: neque vlla ex parte sis Cuiusque familiae de honestamento: quae
clara honorataque apud panonios est: ex qua non pauci longo ab hic

Socrates

Theopom-
pus
Ephorus

Doctoris
officium
Discipuli

Vitiligi-
nes: ligug
Adolesce-
ntis lubri-
cum.

Vita sine
litteris

Vix vita-
lis

Indolati-
les

Transmo-
ntani

Elegantie
sectato-

res laus

Georgii
mores

seculo extiterunt nobilitate monstrabiles: & in presentia tres fratres
tui Ladislaus, Georgius, Nicolaus prefecturis militaribus decorati:
inter quos Georgius quem mores nominant: comprimis enitel-
cit. Comitatus affabilis: liberalitate munificus: bellica virtute prepol-
lens: & ob id maximo panoniarum regi pericundus. Qui cum bel-
lum continenter gerat aduersus trucas truculentos: eum ducatu bel-
lico exornatum veluti obicem opposuit procelle efferatarum gentium
suffrenandę atq; ferocię retundendę. Tu vero militię huiusce nostre
litterarię sacramentis initiatus. Et eloquentię candidatus: nihil omit-
tis earum rerum: quę tibi quę tuis: quę familię esse possint ornamen-
to. Quod mihi hortamentum sane fuit & incitabulum: vt tibi nun-
cuparim dedicarem commētarios, Tusculanarum questionum: quos
nuperime excudi: quibus spero me dedisse tale temperamentum: vt
neq; immodice extuberarent: neq; anguste astringerentur: quorum
doctrina: neq; promiscua est: neq; protrita: vtpote ex philosophię de
prompta sacrario, intercisim flosculi intextuntur spirantes suauolen-
tiam magis: q̄ grauiolentiam. De tota re tu & ceteri sinceri lectores
bene opinor iudicabunt. Virulentorum linguas & oblatratorum mor-
sus nihil moror. Quod superest deum rogo vt mihi tantisper vitam
proroget: dum ero ad hanc commētandi facultatem idoneus. In ma-
nibus sunt commentarii apuleiani: quos interuallo breui intermissos
ad officinam reuocare contendo: vt litteratoria incude formati vsui
esse possint mercis nostre negociatoribus & condimentorum nostro-
rum alimenta sectantibus. Vale & dilige doctorem.

Flosculi
cōmenta-
rii insper-
si in ma-
nibus cō-
mentarii
Apuleia-
ni